

ne inveniatur ei cui servire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare. Quod bene Paulus insinuat, cum sui nobis studii occulta manifestat, dicens: sicut et ego per omnia omnibus placeo. Qui tamen rursus dicit: si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Placet ergo Paulus, et non placet: quia in eo quod placere appetit, non se, sed per se hominibus placere veritatem quaerit.

CAP. IX. QUOD SCIRE SOLLICITE RECTOR DEBET, QUIA PLERUMQUE VITIA VIRTUTES SE ESSE MENTIUNTUR.

Scire etiam Rector debet quod plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur. Nam saepe sub parcimoniae nomine se tenacia palliat, contraque se effusio sub appellatione largitatis occultat. Saepe inordinata remissio pietas creditur, et effrenata ira spiritalis zeli virtus aestimatur. Saepe praecipitata actio velocitatis efficacia, atque agendi tarditas gravitatis consilium putatur. Unde necesse est ut Rector animarum, virtutes ac vitia vigilantia cura discernat, ne aut cor tenacia occupet, et parcum se videri in dispensationibus exultet: aut cum effuse quid perditur, largum se quasi miserando gloriatur: aut remittendo quod ferire debuit, ad aeterna supplicia subditos pertrahat; aut immaniter feriendo quod delinquitur, ipse gravius delinquat: aut hoc quod agi recte ac graviter potuit, immature praeveniens leviget; aut bonae actionis meritum differendo, ad deteriora permutet.

CAP. X. QUAE ESSE DEBET RECTORIS DISCRETIO CORREPTIONIS ET DISSIMULATIONIS, FERVORIS ET MANSUETUDINIS.

Sciendum quoque est, quod aliquando subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda: aliquando et aperte cognita, mature toleranda, aliquando vero subtiliter et occulta perscrutanda: aliquando leniter arguenda, aliquando autem vehementer increpanda.